Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1909

Quelle:
Copyright:

CCCCLXXXV.

874 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 11. f. congeſtus eſt e Sequentibus: I. Scripto, cui Titulus: *Simplex et vera narratio Hiſtoriæ Colloquij Wormacienſis ſcripta a Philippo Melanthone.* Initium hujus narrationis eſt: *Anno 1557. Menſe Auguſto poſtquam in urbem Vangionum venimus, antequam inchoaretur congreſſus cum pontificijs, Legati Principum noſtrorum vocaverunt concionatores miſſos ad doctrinæ explicationem, et juſſerunt paratos eſſe, cum a Præſide* (Jul. Pflugkio Ep. Numburg.) *ad congreſſum cum pontificijs vocarentur* &c. Adparet mox, in primo hoc apud Legatos conventu Theologos Proteſtantes inter ſe diſſenſiſſe, quibusdam petentibus, ut ante omnia damnarentur *Cingliani, Doctrina Oſiandri, Propoſitio: Bona Opera neceſſaria eſſe ad ſalutem*, et *Lapſus eorum, qui Adiaphora recepiſſent;* aliis contra contendentibus, haec aut declinanda aut differenda eſſe, quin monentibus Legatis, *quia miſſi eſſemus ad defenſionem Eccleſiarum noſtrarum aduerſus pontificios, nunc nos debere in communi cauſa conjunctos eſſe, nec faciendam eſſe diſtractionem.* Sed nihil effectum. Scriptae Condemnationes, et quamvis *Melanchthon* et alii dehortarentur, a Collegis eorum ad Pontificios adlatae. *Hac diſtractione facta*, ſubdit idem, *nolunt pontificij Collocutores procedere.* Ita et iſtud Colloquium ſucceſſu caruit. Acta quaedam ad illud pertinentia exhibet *Goldaſtus* in *Politiſch. Reichshändeln* P. XVIII. p. 740. Vide etiam *B. G. Struvii Hiſtorie der Religionsbeſchwerden* P. I. c. 3. §. 2. p. 277. Noſtra vero *Narratio* inſerta eſt L. I. *Epiſt. Melanchth.* a *Caſp. Peucero* editar. *Witteb.* 1570. p. 201. 8.

II. *fol.* 6. Epiſtola a *Joh. Bugenhagio, Ge. Mayero, Caſp. Crucigero* et *Phil. Melanchthone* ſcripta *Reuerendis Viris eruditione et virtute præſtantibus D. Paſtoribus Eccleſiæ Dei in inclyta Vrbe Argentorato* &c. Ejus initium: *Etſi ex literis Veſtris et deliberatione, quam antea miſiſtis, intelleximus, vos corruptelas doctrinæ conſtanter rejicere, quæ ſunt in Sphynge Auguſtana* &c. Decretum *Interim* intelligunt, unde Epiſtola non ante annum 1548. data eſt. Ceterum laudant propoſitum et ad conſtantiam hortantur.

III. *fol. eod.* p. 2. Scriptum epiſtolare ſine die et conſule datum tempore promulgati *Interim*, de quo inter alia: *Liber Auguſtanus continet manifeſtas corruptelas, ideo nequaquam eum approbabimus, etiamſi exitia et ſupplicia nobis proponentur. Modeſte autem de eo libro reſpondebimus* &c. quae, ut videtur, *Melanchthonem* innuunt. Initium eſt: *Scimus Dei beneficio diſcernenda eſſe Imperia ab Eccleſia Dei, tametſi ſemper oportet alicubi in imperijs eſſe aliqua hoſpitia Eccle-*